



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XIV. Dudum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## Dudum.

## PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Episcopo Prænestino in Gallias destinato, potestatem dedit, beneficiorum in ijs partibus resignationem, auctoritate Apostolicâ accipiendi, & personis idoneis conferendi. Postea verò idem Papa Nicolao Cardinali tituli S. Laurentij, Camerario, Canonicatum Ecclesiæ Senonensis contulit, executoribus constitutis, qui eidem Camerario præbendam, siquæ tunc vacaret, vel proximè vacatura esset, assignari facerent, irritum fore declarans, si aliquid contra id à quoquam fuerit attentatum. Accedit postea, ut Nicolaus Fasallus canonicatum & præbendam, quam in eadem Ecclesia tenebat, in dicti Episcopi manibus resignaret, qui eandem (fortasè ignorans collationis & reservationis pontificiæ antea factæ in favorem Camerarij) Guilielmo contulit; tunc executores Apostolici eandem præbendam auctoritate literarum papalium Camerario, veluti ipsi debitam, assignarunt: sed Guilielmus possessor præbendæ permittere id noluit, ea propter Camerarius Papæ supplicavit, ut ipsi de remedio opportuno provideret, tunc Bonifacius rescripsit, tamen dicto Episcopo potestatem illam concesserit, penes ipsum tamen Papam, majorem remansisse, & potestatem Episcopo datam Pontificiam censeri debere, ac potiorē esse Pontificis, eam præoccupantis, conditionem. Accedit, quòd secundum Canonicas sanctiones generi per speciem derogatur, tamen de genere in derogante specie mentio non fiat. Præterea tamen Pontifici in supplicatione narratum fuisset de dicta potestate Episcopo concessa, tamen nihilominus eam gratiam Camerario fecisset, quia absurdum fuisset, si Pontificis tam latè patens potestas impe-

diretur, adèd ut in omnibus provisionibus literis, ad partes Gallicanas destinatis, potestatis Episcopis concessæ mentionem facere deberet. Ulterius rescriptum Pontificis, præsertim in hoc casu, quando Camerarius ante Canonicatus renuntiationem Canonicus effectus fuit, ignorans quoque ligare debuit, cum non fuerit super incerto editum, neque et alieno pendens arbitrio, seu voluntate alicujus, qui acceptare deberet, & idèd eo ipso Papa prohibuisse videtur, ne illi conferre posset, & sic potestatem Episcopo concessam, quoad eam speciem revocasse. Et verò talis potestas revocari poterat etiam ab ignorante, quandoquidem de lucro tantum ipsius Guilielmi agitur, non autem de dicti Episcopi præjudicio, consequenter Episcopus non potuit post revocationem in alium, licet ignorantem, jus aliquod circa rem revocatam transferre. Quemadmodum, si servus calendario, id est debitorum nominibus præpositus, post mortem Domini præponentis, pecunias mutuas det, eas accipientium non facit, tamen mors Domini & potestatis revocatio à contrahentibus ignorata sit; simili ratione Dominus, si peculium servo concesserit, solâ voluntatis mutatione illud revocari quæ, cum ita sint, mandat Papa alicui se delegato, ut Guilielmum, præmissa canonica monitione, per censuras Ecclesiasticas compellat, non obstante Canonicatus, & præbendæ sibi ab Episcopo facta collatione, cum irrita illa fuerit, Camerario præbendam dimittere, & super ea deinceps ipsi molestus non esse.

## SUMMARIUM.

1. Per Collationem Canonicatus à Papa factam præbenda censetur affecta, ita ut collatio alteri ab ignorante etiam facta, irrita sit.
2. Libellus suscipi debet, in quo narrata facti specie generalibus verbis iudicis officium imploratur.

3. Major



3. *Majore & excellentiore modo residet in delegante potestas delegata, quam in delegato.*

4. *Specialis gratia derogat generali, tamen si hujus nulla mentio fiat.*

5. *Nisi per generalem concessionem à Principi factam, jus propriè dictum parti acquisitum fuerit.*

6. *Et nisi privilegium sub generali concessione datum transferri in pactum.*

7. *Hinc resolvitur, quid de Concordatis Germania derogandis sit sentiendum.*

8. *Tollitur autem commissio facta de beneficio conferendo per commissionis talis revocationem, quamvis ea nondum pervenerit ad notitiam ejus, à quo revocatur.*

9. *Quando solvatur mandatum morte mandantis?*

1. *Notandum primò. Per collationem Canonice factam à Papa præbenda censetur affecta; si quæ tunc vacat, & alteri debita non est, vel quæ proximè vacatura, ita ut collatio alteri facta ab alio collatore etiam ignorante irrita sit. Ita Gl. hic V. Canonice factam. Ancharan not. 3. Sed hæc affectiones & reservationes per concordata Germaniæ sublata sunt.*

2. *Notandum secundò. Sustineri debet libellus, in quo, narrata specie facti, iudicis officium verbis generalibus imploratur, ut justitiam administret, vel subveniat per juris remedium opportunum. Ita Ancharan hic not. 5. Franc. n. 5. Et videri potest Innocent. in c. cum dilectus n. 2. de ordine cognitionis.*

3. *Notandum tertio. Potestas alicui delegata majore & excellentiore ratione residet in delegante, quam in delegato, quemadmodum aqua dignior, & præstantior est in fonte, quam in rivulo, uti hic Gl. ait v. eadem cum additione. Et est potestas delegata quodammodo delegantis, quippe ab ipso derivata, & dependens, quam ob rem eam arbitratu suo limitare vel revocare potest; simpliciter tamen loquendo diverfa, & alia est, cum à delegato ad de-*

legantem appellatio concedatur, prout docet in c. 1. de officio Vicarij in 6.

Notandum quartò. Si alicui gratia seu concessio generaliter facta sit, alteri verò specialiter, specialis concessio derogat generali, tamen si ejus nulla mentio fiat. Consentit c. 1. & c. pastoralis 14. de rescriptis. Ratio est, quia in ijs, quæ dependent à voluntate Principis concedentis, non censetur is, generalem gratiam concedendo, auferre sibi potestatem, alteri gratiam specialem faciendi, per quam derogeretur gratiæ generali. Simili ratione dicitur in c. 3. de officio legati in 6. quòd mandatum speciale derogat generali, etiam nullà factà mentione mandati generalis; & idèò delegatus in causa speciali superat in ea causa delegatum, aut legatum generalem, ita ut is se immiscere non possit; ex quo sequitur, quòd mandatum aut gratia specialis, licet derogat, & adimat aliquid mandato, aut gratiæ generali, tamen propriè loquendo, ipsi contraria non sit, quemadmodum exceptio, cum non sit comprehensa in regula, ipsi contraria non est, sed derogans, prout hic notat Joann. Andr. quòd species extracta de genere non continetur in genere.

Limitari debet primò. Nisi tale sit privilegium, seu donatio Principis, per quod parti propriè dictum jus acquisitum sit, v. g. decimarum, intra fines parochiæ percipiendarum, si enim postea alteri specialis decimarum intra eandem parochiam donatio seu concessio fiat, subreptitia censi debet, si nulla mentio fiat antecedentis concessionis, quia huic juri acquisito Papa non facile derogare, illudve auferre, aut imminuere solet; at verò potestatem beneficia conferendi, dispensandi, aut à peccatis absolvendi, ita Pontifex aliquibus generatim delegare solet, ut tamen frequenter etiam alteri specialiter, & in certis casibus deleget; præterquam quòd constat tales gratias delegatas in totum auferri posse, arbitrio delegantis, multò itaque magis ex parte derogari.

S 2

Limita



- <sup>6</sup> Limitatur secundò. Nisi privilegium transierit in pactum, per quod etiam Princeps promissionem faciens se obligasse censetur. Licet enim tale privilegium ex plenitudine potestatis ob gravem & publicam causam tolli, eive derogari possit à Principe, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* nunquam tamen præsumitur derogare, seu potestatis suæ plenitudine uti, nisi id clarè exprimat.
- <sup>7</sup> Hinc quæstio decidi potest, utrùm summus Pontifex Germaniæ concordatis derogare possit. Dicendum enim est ex gravi causa, ad bonum publicum pertinente, Pontificem derogare posse per potestatis suæ plenitudinem, sicuti docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 3.* At verò solitum non esse, neque convenienter posse derogare, nisi gravis & extraordinaria causa id postulet, prout videre est apud *Cokier de precibus primarijs L. 5. §. 2.* quia concordata vim pacti, & contractus habent; & quidem reciproci, quidquid contradicat *Branden in concordatis q. 8.* quandoquidem Nicol. V. vicissim promissit, v. g. per *quancunque reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, non impedimus nos, quò minus de beneficijs, cum vacabunt, de Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, Decembris mensibus liberè disponatur per illos, ad quos collatio pertinet.* Notum autem est, quòd etiam Princeps pacta & promissiones suas servare debeat, cum ea sint de jure naturali ac gentium, cui Princeps adversari non potest secundum *Gl. in L. 2. versu quoties C. de precibus imperatori offerendis.*
- <sup>8</sup> Norandum quintò. Mandatum, commissio, aut delegatio alicui facta ad conferenda beneficia per revocationem tollitur, tametsi revocatio non pervenerit in notitiam ejus, à quo revocatur. Ratio est in textu, quia in tali revocatione non vertitur alicujus damnum, quod caveri debeat, sed tantum lucrum cessans, cujus ratio haberi non debet. Ita hanc rem intelligit *Anchoran. his*

*not. 12. Franc. not. 11. Zabar. in Clement. unica de renuntiatione coll. 4.* Quare ad quæstionem hanc, quam tractatam reperies apud *Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 30. n. 11. Suarez. lib. 8. de legibus c. ult.* num revocatio gratiæ, facultatis, aut jurisdictionis de egrata, per revocationem concedentis, vel ejus successoris, sublata sit etiam, antequam in notitiam perveniat eorum, quibus gratia, facultas, aut jurisdictio data fuit.

Resp. & dico primò. Si facultas aliqua, gratia, aut indulgentia, v. g. Religiosis generali lege edita, revocetur à Pontifice, post ejus promulgationem sufficienter factam, revocatio effectum sortitur, per se loquendo, tametsi Religiosis privilegiatis cognita non sit. Ita ex communi *Suarez. cit. c. ult. & docui lib. 1. tract. 4. c. 23. n. ult.*

Dico secundò. Si Princeps revocans concessionem, aut commissionem, exprimat velle se irritum, & inane esse, quidquid ex tunc sive ex eo tempore vi concessionis, aut commissionis gestum fuerit, certum est, quòd revocatio eum, quem Princeps vult, irritationis effectum habeat, tametsi res integra non sit. Ita *Abb. in c. audita n. 13. de restitutione spoliatorum, & alij apud Rosellam V. excommunicatio n. 46.* & sumitur ex dictis in hoc c. quòd jurisdictio, aut facultas commissæ pendeat ex voluntate committentis, sicuti rivus à fonte, sicuti lumen à sole.

Dico tertio. Si Princeps revocet concessionem, commissionem &c. & aliud nihil exprimat, tunc censeri non debet velle, ut revocatio ante notitiam, aut insinuationem factam, effectum sortiatur, quotiescunque talis revocatio (loquor de particulari, non de ea, quæ fit lege generali) in notabile incommodum seu damnum cedere potest, sicuti etiam docui *in cit. c. 23. n. ult.* Sin autè non agatur de vitando incommodo, sed tantum de lucro, seu commo non capiendo, quia ex eo tempore, quo revocatio facta est, privilegiatus aut delegatus benefi-



cia tribuere non potest, sicuti prius poterat, tunc habemus textum expressum hic, quod revocatio, etiam particulari sententia, aut rescritto Principis facta, effectum sortitur, antequam privilegiato, aut commissario innoverit.

Notandum sextò. Jus Expectativæ tendit ad beneficium aliquo modo determinatum, videlicet, quod proximè vacaturum est, quale jus inferiores Papà dare non possunt. Interim potest Capitulum, v. g. Canonicum creare, ita ut habeat jus indeterminate petendi, ut sibi provideatur, sicut explicavi in *c. relatum 9. & c. dilectus 13. hoc tit.* & docet *Anchoran in q. hi qui 12. in fine hoc libro & titulo.*

9 Notandum septimò. Mandatum solvitur morte mandantis, si res adhuc integra est, seu negotium nondum cœptum. *L. mandatum 15. c. mandati.* Et habet id etiam locum in jurisdictione demandata, ut tacite revocata sit per mortem mandantis. *L. & quia 6. ff. de jurisdic. omnium judicam.*

Limitari debet primò. Si procurator ad negotia quidpiam egerit, vel contraxerit post mortem aut revocationem probabiliter ab ipso ignoratam, acta valida censentur. *L. si mandassent. 15. leg. inter 26. ff. mandati.* Excepto procuratore ad matrimonium contrahendum. *c. ult. de procuratoribus, in 6.*

Limitatur secundò. Si simplex etiam mandatarius, aut nuncius post mandantis mortem, aut revocationem probabiliter ignoratam, expensas fecit, vel si mandatum habuit non tantum donandi, (prout docui *lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 5.*) sed onerosos contractus celebrandi, adeoque non agatur duntaxat de lucro non capiendo, sed damno vitando, actio competit adversus mandantem, ejusve hæredes ad præstandum id, quod interest. *§. rectè quoque instr. de mandato, & docet Gl. in cit. L. mandatum, v. finitur. Mol. tract. 2. disp. 263. n. 4.*

Limitatur tertio. Si mandatarius, aut servus calendario Præfectus, ignoratà revocatione, debita domini acceperit, debitores ei bonâ fide solventes, liberantur. *L. si quis servo 18. L. cum quis mandatum 38. §. si debitorem ff. de solutionibus.* Tamen si itaque tali mandatario post mandatum revocatum bona fide solvens liberari debeat, tamen ei promittens contrahere non debet obligationem, uti hic dicitur, & *L. ejus qui 41. ff. de rebus creditis,* quia proniora jura esse solent ad liberandum, propter æquitatis rationem, quàm ad obligandum. *L. Arianus 47. ff. de obligationibus.* Quare inquit *Gl. marginalis ibidem.* facilis exceptio datur, quàm actio ex *L. 1. §. cum ff. de pignoratitia actione.*

Notandum octavo. Si dominus servo peculium indulerit, solâ voluntate ipsi auferre potest, *L. non statim 8. ff. de peculio;* non tamen solâ voluntate dominus ex rebus suis servo peculium statuere potest, sed opus est traditione aut acceptatione. *cit. L. non statim.* Quare *Gl. ibidem* ait, quod non tam facile res acquiritur, quàm amittitur, & quod non semper contrariorum eadem ratio sit, prout etiam supra notavi *not. in fine.*

## CAPITULUM XV.

## Quia sæpè.

## PARAPHRASIS.

Pontifex contulit Canonicatum Titio, datis executoribus, qui ei præbendam, si tunc vacaret, alioquin proximè vacaturam, assignari curarent: postea verò idem Pontifex Canonicatum contulit Sempronio, datis executoribus, qui ipsi præbendam, & dignitatem, vel officium, cum occasione obtulerit, assignari facerent; cum hi duo expectarent, accidit, ut præbenda, & dignitas, seu officium vacarent, v. g. per mortem Decani, aut Custodis. Queritur, num præbenda debeat Titio priori impetranti, an Cajo